PSALMVS,

REGIS ISRAELITARVM, ET DIVINI PROPHETÆ DAVIDIS, IVXTA CATHOLICORVM SVPPVTATIONEM CXII.

secundum Hæbræorum verò distinctionem CXIII. succinctis scholijs illustratus per Georgium Theandrum Psalmorum Dauidicorum interpretem, & Professorem ordinarium, & in sequentes Theses redactus, qui & proindè publicè ad disputandum proponetur, ad 10. Nouembris in schola Theologorum, ut SS. Theologiæ studiosi habeant, quò se in hoc palestræ literariæ genere probè exerceant. quas defendet Balthasar Luntzer et SS. Theologiæ Baccalaureus

TITVLVS PSALMI.

Thesis I. Hadem uoce laudis, utpotè הללויה Psalmus iste inscribitur, qua & duo præcedentes. Titulum uerò istum exponit Psalmus statim ab initio cum ità incipit. *Laudate pueri Dominum, Laudate nomen Domini.*

הללויה enim, ut iàm sæpenumero diximus, interpretatur Laudate Dominum, הללו enim uerbum imperatiui modi est Hebræis, quod significat Laudate, יה uerò unum est ex nominibus diuinis significans Dominum.

ARGVMENTVM PSALMI.

Thesis II. Lucæ I. *Hortatur Propheta hoc Psalmo omnes Christi fideles ad Hymnos canendos Deo, eò quòd ipse intuetur, regit, & pro suo arbitrio mutat & gubernat uniuersa, nunc enim ex sordibus euehit pauperem in altum gradum, & deijcit potentes iuxta illud cantici beatißimæ Virginis & Matris Mariæ, Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles, Esurientes impleuit bonis, & Diuites dimisit inanes. Prædicat itaq; Dauid hoc Psalmo Dei potentiam & prouidentiam, misericordiæ plenam.*

DIVISIO.

Thesis III. *Bipartitus est Psalmus. Primò enim hortatur Propheta deuotos, ut iugiter laudent Deum, & laudes eius ubiq; prædicent. Secundò, ipse facit, quod alios monet, id est, ipse laudat Dominum, ità ut alios doceat non solum uerbis, sed etiàm reipsa, & facto suo dicens, Quis sicut Dominus Deus noster etc.*

EXPLICATIO PSALMI.

Primò itaq; monens ad laudandum, ostendit qui, & quem, & quamdiu, & ubi, & quare laudare debeant. Primùm (inquam) ostendit qui laudare debeant, nimirum pueri, dicens, ô pueri, id est, simplices, humiles, innocentes, & puri instar puerorum.

Thesis IIII. 1. Corint. 14. 1. Pet. 2. Psal. 8. 1. Corint. 14. Math. 7. Math. 10. Math. 18. *Quamuis hoc Psalmo pueros tantum compellare, & ad laudandum inuitare uideatur, omnes tamen Christifideles hortatur Propheta ad laudes diuinas, pueros appellans humiles, & eos qui malitiâ paruuli sunt, ad quam pueritiam nos Apostolus hortatur dicens, Malitiâ paruuli estote sensibus autem perfecti, Et Petrus Apostolus in priore Epistola sua, Sicut modo geniti infantes, rationabile, & sine dolo lac concupiscite. Ex ore eiusmodi infantium & lactantium puerorum Deus perficit laudem suam. Vnde D. Augustinus scribens in hunc Psalmum, Ne arbitremini (inquit) ad uos istam exhortationem non pertinere, quia iàm corporis pueritiam egreßi, uel Iuuenili decore uirescitis, uel senili honore canescitis, omnibus enim uobis dicit Apostolus, Nolite pueri effici sensibus, sed malitiâ paruuli estote. Qua malitia? Nisi superbia. Ipsa enim de uana granditate presumens non sinit hominem ambulare per uiam arctam, & intrare per angustam portam. Et ideo Dominum non nisi pueri laudant, & nemo nisi puer intrat in regnum cœlorum, quia superbi eum laudare nesciunt, nec intrare possunt per angustam portam. Sit ergo senectus uestra puerilis, & sit pueritia uestra senilis, id est, nec sapientia uestra sit cum superbia, nec humilitas sine sapientia, cui consonat illud Euangelicum, Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ, hæc ille. Ideoq; facta contentione inter Apostolos, quis eorum maior esset, Assumpsit Iesus paruulum, & statuit illum in medio Discipulorum, & ait, qui non humiliauerit se, sicut paruulus iste, non intrabit in regnum Cœlorum. Hactenus ostendit qui laudare debeant. Deinde subdit, quem laudare debeant pueri, nimirum Dominum dicens.*

Laudate ô pueri Dominum, Deum in essentia, & laudate nomen Domini.

Versus I. Thesis V. Iacobus de Valentia. Gene. 1. Psal. 2. Esa. 15. Iob. 1. Nomen Dñi IESVS. Iob. 17. Adonai. *Porro non immeritò quis dubitârit, quare Dauid noster post Laudate pueri Dominum, etiàm subdat laudate nomen Domini, nisi fortè aliquid discriminis insinuet esse inter Dominum et nomen Domini, ad quod respondeo cum Iacobo de Valentia. Quòd Dauid hoc faciat non absq; grandi & profundo mysterio. In sacra enim scriptura (ait ille) frequenter commemoratur Dominus, siue Deus, & uerbum Dei siue uerbum Domini, & nomen Dei, siue nomen Domini. Sicut enim Deus siue Dominus, quandoq; sumitur essentialiter, ut sic dicam more Scholarum, quod idem est, quod Deus trinus & unus, ut ibi, In principio creauit Deus cœlum & terram. Quandoq; uerò personaliter pro persona tantùm Patris, ut ibi Dominus dixit ad me Filius meus es tu, & quandoq; sumitur pro persona filij, ut Esaiæ 15. Cap. Pater dicit ad filium, tu es Deus absconditus. Ità uerbum Dei siue uerbum Dñi ferè semper sumitur pro persona filij, quod quidem uerbum Pater ab æterno dicendo produxit, & per quod ex tempore facta sunt omnia. Sed nomen Domini idem est quod uerbum incarnatum, nempe Dominus noster, Iesus Christus, Deus & homo, Meßias in lege promissus. Et ideo dixit ante paßionem suam. Ioan. 17. Pater manifestaui nomen tuum hominibus, Et est hoc nomen Τετραγράμματον, quod in ueteri lege quatuor literis scribebatur, uidelicet יהוה Quæ quidem quatuor literæ hoc nomen יהוה sonant & reddunt, quod latine Iesus dicitur & declinatur, quod tamen Iudæi præter naturam literarum Adonai pronunciabant. Et sic, hoc nomen Iesus est illud nomen Dei, quod omnes Patriarchæ, Prophetæ & fideles ueteris Testamenti scire desiderabant & inuocabant, & in hoc omnes saluari exspectabant. Vnde hoc est nomen Domini quod cœpit inuocare Enos Genesis 4. Item hoc est nomen Domini quod inuocauit Abraham quando ædificauit altare Domino Genesis 12. & 13. Item hoc est nomen Domini quod inuocauit Isaac in Altari extructo, Genesis 26. Item hoc nomen inuocauit Iacob super lapidem quem erexit in Titulum Genesis 28. Item hoc est nomen Domini quod Deus non reuelauit uisibiliter patribus ueteris Testamenti, usq; ad incarnationem. Item hoc est nomen Domini, quod uenit de longinquo Esaiæ 30. Item hoc est nomen Domini de quo dicitur Esaiæ 12. Haurite aquas de fontibus Saluatoris, & dicetis in illa die, Confitemini Domino, & inuocate nomen eius. Item hoc est nomen Domini, & nomen Dei Iacòb, quod Dauid noster, in hoc toto Psalmorum libro exhortatur inuocandum esse, & sæpe laudandum, de quo præcipuè dicit in hoc Psalmo. Laudate pueri Dominum, laudate nomen Domini ità ut laudate Dominum, dicat Deum unum in trinitate, & nomen Domini dicat Verbum incarnatum, id est, Iesum Christum saluatorem nostrum. Ecce dixit Propheta, qui & quem laudare debeant. Deinde subdit quamdiu laudandus sit Deus, nimirum semper, cum subiungit.*

Sit nomen Domini benedictum, ex hoc, nunc & usq; in seculum.

Thesis VI. Vers. II. *Quasi dicat ne ad horam putetis me imperare laudem, sed sit semper nomen Domini benedictum, non autem blasphametur. Ex hoc nunc, id est, ex hoc tempore præsenti, quo uidelicet in eum credere cœpimus. Tunc enim præcipuè apud nos laudari & benedici nomen Domini debet, quod alioqui ab æterno benedictum est, ut sit, ex hoc, nunc, & usq; in seculum, idem quod semper, indesinenter, continuè, perpetuò, & sine fine. Porrò ex hoc nunc, interpres dixit pro amodo, græcam phrasim exprimens ad uerbum. Apud eos enim frequens est aduerbium cum articulo usurpare pro nomine Adiectiuo, sic hoc loco ex hoc nunc, dictum est pro, ex hoc tempore præsenti, Lucæ autem 1. Cap. in Cantico beatæ Virginis & Matris Mariæ interpres omisit aduerbium, idq; magis latinè dicens, Ex hoc enim beatam me dicent omnes generationes. Sic Virgilius, Ex illo celebratus honos, in quibus præpositio, Ex, tempus denotat non causam, pro eo, quod est ex hoc tempore, & ab illo tempore.*

Virg. Thesis VII. Vers. III.

A solis ortu usq; ad occasum laudabile nomen Domini.

Hic dicit, ubi laudari debeat Deus & nomen eius benedici, nimirum ubiq;, Quasi dicat, non impero laudare ad horam, nec etiàm localiter, sed sit laudabile nomen Domini, etiam à solis ortu usq; ad occasum, non apud Iudæos tantùm, sed apud omnes Gentes per uniuersum orbem, longè lateq; diffusas, per circuitum solis ab ortu usq; ad occasum eius, ità ut quasi per quandam lineam mundum uniuersum significet, in quo toto laudandus sit Deus, hactenus dixit, qui, & quem, & quamdiu, & ubi, nunc postremò subdit, quare laudare debeant. Ideo nimirum, quia.

Thesis VIII. Vers. IIII.

Excelsus super omnes Gentes Dominus, & super Cœlos gloria eius.

Quasi dicat, ideò laudate Deum, quia excelsus est Dominus, & super Cœlos gloria eius, ubi per gentes terrena, per Cœlos autem omnia cœlestia notat, ut per hæc duo omnes creaturas indicet Deo subiectas. Vel per gentes carnales homines per Cœlos autem spirituales significat, quibus tamen omnibus altior est Deus, & in infinitum eos transcendit, omnibus cœlestibus sublimior, Vel Cœlos dicit Apostolos, per quos regnat in gentibus. Et est, Ideo omnes inuito ad laudes Dei, quia super omnes regnaturus est.

Thesis IX. Vers. V. 1. Pet. 5. Esai. 66.

Quis sicut Dominus Deus noster? qui in altis habitat, & humilia respicit in Cœlo & in Terra.

Secunda pars Psalmi, ubi Propheta ipsemet agit, quod alios monet, id est, ipse laudat Deum, ut & facto suo alios doceat. Cæterùm alij hoc modo legunt, Quis sicut Dominus Deus noster? qui in altis habitat, & demittit se, ut aspiciat omnia in cœlo & terra? sed utcunq; legas, sensus idem manet, Quis est sicut Dominus Deus noster? quasi dicat, nullus certè, qui per se poßit, quod ipse Deus per se potest, Ipse est, qui habitat in altis, id est, in sanctis Angelis suis, quos sic exaltat, ut tamen superbos non faciat, & licet ipse sit altus, non tamen despicit humiles, quia respicit, intuitu uidelicet misericordiæ suæ, humilia quæ sunt in Cœlo, id est, humiles Angelos, & quæ sunt in terra, id est, humiles sanctos, quos ità respicit, sicut ex aduerso odit superbos, iuxta illud Apostoli, Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. De quibus & scriptum est per Esaiam, Super quem requiescet spiritus meus? nisi super humilē & quietū, trementē sermones meos. Sic in cœlo & in terra humilitas Deo placita reperitur, sicut superbia probatur exosa, inquit Caßiodorus, per quam Diabolus cecidit, & per quam homines in tartari penetralia merguntur. Erubescant igitur elati. Vbi enim credunt locum habere superbiam, cum cœlum & terram ab humilitate uideant occupata? Ità ferè Augustinus hunc locum interpretatur, alij uerò de prouidentia Dei intelligunt, quasi dicat, Propheta noster, Licet Deus supremum inhabitet locum, & omnibus rebus superemineat, nihil tamen est tàm humile & abiectum in mundo, quod ipse non uideat, & sua prouidentia gubernet. Quod cum ità sit, uitam sic colere debemus, tanq̃ ille omnibus nostris cogitationibus, uerbis, & actionibus intersit. Re enim uera Deus omnia uidet, omnia audit, atq; omnium mentes, ac intimos animorum sensus introspicit. Licet pleriq; ex ijs qui falso sapientiæ nomine gloriantur, sencus uideatur. Nonnulli enim homines, planè Epicurei, considerantes excelsam Dei habitationem, senserunt Deum ea, quæ aguntur in terris non attendere. Ex quorum persona Iob 22. dicitur. Circa cardines cœli perambulat, nec nostra considerat. Veritas autem monstrat contrarium, nimirum Deum ob exaltatam habitationem, et sedem suam, nihilominus tñ quæ infernè aguntur, attendere. Quod hic nunc significari uidetur, cū dicitur, humilia respicit in cœlo & in terra. Humilia. n. dicuntur quæ infernè aguntur circa creturas. Et cū additur in Cœlo, significatur etiā quæ in Cœlo sunt, humilia esse diuino prospectui.

Thesis X. Vers VI. Vers. VII. Matth. 8.

Suscitans à terra inopem, & de stercore erigens pauperem.

Hoc est, Deus pro suo arbitrio potest omnia mutare, nunc enim euehit ex sordibus pauperem in altum gradum, & deijcit potentes Hanc Dei beneficentiam in se satis expertus erat ipse Dauid, qui ex humili & infimo loco perductus fuerat ad altißimum Regiæ dignitatis fastigium. Hinc sequitur in Psalmo, Vt collocet eum cum Principibus, cum Principibus populi sui. Et hic sensus est ad literam, At uerò iuxta altiorem & mysticum sensum per inopem & pauperem, intelligimus Gentes, quas de puluere terrenarum cogitationum, & de fece, & stercore peccatorum Deus euexit ad cœlestia, & sedere fecit cum Apostolis, Prophetis, & Patriarchis in cœlestibus. Vnde Christus in Euangelio, Multi (inquit) uenient ab oriente & occidente, & recumbent cum Abrahàm, Isaac, & Iacòb in regno cœlorum.

Thesis XI. Vers. VIII. Exodi I. Esaiæ 54.

Qui habitare facit sterilem in domo matrem filiorum lætantem.

Hoc est, qui sua misericordia steriles reddit fœcundas, & contrâ fœcundas facit steriles, quiq; sua clementia facit, ut quæ adhùc sterilis fuerat, habeat domum, id est familiam. Domū. n. hic poni pro familia uolunt, eo modo, quo de obstetricibus illis dictum est, quòd Deus fecerit illis domos, hoc est, numerosam commodamq; dederit illis familiam, ità hoc loco dicat, Qui habitare facit sterilem in domo, id est, qui facit ut sterilis fœmina habeat domum, id est, familiam, unde quidam sic uertit. Ipse ponit sterilem in familiam, & matrem ob filios lætantem. Quare is erit sensus, quòd ad diuinam pertineat prouidentiam steriliß imas quasq; adeò abundè fœcundare, ut domum prole impleant, & quæ antea naturaliter fuerat sterilis fiat mater ilicò, propter liberorum copiam gestiens. Cui rei testimonio sunt Sara, Rebecca, Anna, atq; aliæ multæ fœminæ pudicitiâ & sanctitate illustres. Per sterilem matrem mysticè intelligimus Ecclesiam ex gentibus congregatam, quæ sterilis dicitur, quòd ante fidem susceptam nullos filios Deo generaret. Hæc per Euangelicam fidem innumeros filios quotidie Deo parit, ità ut longe superet Synagogam spiritualium filiorum numero. Vnde bene dicit eam habitare in domo, id est, in Ecclesia quæ domus Dei est. Lætantem propter filios, sic enim uertendum erat, cùm græcè sit ἐπὶ τέκνοις εὐφραινομένην, id est, propter filios gestientem. Exprimit enim causam cur lætetur Ecclesia, quia uidet se undiq; cinctam numerosa prole. De hac sterili Deus apud Esaiam cap. 54. loquitur, Laudà (inquiens) sterilis, quæ non paris, decanta laudem, & himni, quæ non pariebas, quia plures filij desertæ quàm eius, quæ habebat uirum. Est itaq; hoc certißimum de gentium Ecclesia uaticinium. Sterilis hæc, atq; ad punctum in modico derelicta, in fructus demum tàm uberes erupit, ut orbem repleuerit uniuersum. Ideoq; non absq; profundißimo mysterio illud canitur de spiritu sancto elogium, Spiritus Domini repleuit orbem terrarum. Cui proinde cum Patre, & filio eius unigenito, laus sit & honor, & gloria in seculorum secula, Amen.

Hieronymus Torrensis uidit, & adprobauit.

Ingolstadij excudebat Alexander Vueissenhorn. Anno M. D. LXVIII.

43

A. 1560.